

*2. Thess. 3. 1. 2.* Et sub N. T. scholasticorum princeps Thomas Aquinās, qui insignem illam & admirandam sapientiam studio magis orationis, quām humano ingenio & labore se assecutum fuisse charissimo socio fratri Reginaldo secretō revelavit: quod secretum, quamdiu in vita maneret, servari voluit. Ideoque in more habuit, ut quoties ei legendum, scribendum vel disputandum esset, ad secretum orationis locum prius confugeret, ut à Deo disceret, quod homines doceret. Intelligebat enim (quod est à D. Augustino dictum) melius interdum oratione solvi dubia, quam humanā inquisitione: ut Ludovicus Granaten-sis in laudibus D. Thomae refert. Ex adverso qui preces cultumque numinis spernunt, ii à spiritu sancto spernuntur *I. Sam. 2. 10. Joh. 12. 35. Rom. 1. 21. 28. 11. 7. Eph. 4. 18. 5. 8. 9. Ap. 22. 11.* Quare

V. *Precatio sit diurna & nocturna.* Illa matutina, meridiana, vespertina: hæc, quoties somnus est intervallis: aliás prolixa, aliás brevis & jaculatoria: aliás cum gemitu & lacrymis, aliás cum gaudio & hymnis, & quidem cum ante studia, tum post studia, tum denique inter studia.

Hoc firmat præceptum Christi, ejusque Apostolorum, monitum patrum & exemplum sanctorum. Præceptum Christi, & Apostolorum, *Matth. 7. 7. 8. & 26. 41. Marc. 14. 38. Lnc. 1. 9. 10. 11. 12. 13. & 18. 1. 1. Thess. 5. 17. Jacob. 1. 5. 6. 1. Pet. 2. 1. 2.* Monitum patrum est apud D. Bernhardum serm. de obedientia, patientia & sapientia; & in 8. punctis. Exemplum est Davidis, cum passim psalmorum, tum *ps. 119. toto & Ps. 141. & 142. & 143.* Salomonis *I. Reg. 3. v. 9. Danielis & sociorum Dan. 2. v. 18. & seqq.*

VI. *Vitæ SANCTIMONIA est medium divinum, quo studiosus Theologie & quæ horis ac momentis seipso melior fieri conatur.*

Hujus præcepti autor est Apostolus *Tit. 2. v. 11. & 12. & 1. Tim. 4. v. 7. 8. 13. 14. 15. 16.* ubi videlicet paraphrasin Erasmi Roterodami, ejusdemque *παράγαγσιν:* item in ratione veræ Theologiæ sub finem. Quod & Salomon luculentè docet *Prov. 1. v. 7.* quem in locum eruditissimus Theologus